

# Dominica prima Quadragesimæ. 153

vanos conatus deridet. *Serm. 12. col. 30. A* Secundo. Tentationes viles quia 1. purgant à vitiis: 2. gratiam augent: 3. æternaliter coronant: 4. exercitatos in spiritalibus & versatos efficiunt: 5. agiles & diligentes reddunt: 6. propriam infirmitatē ob oculos ponunt: 7. exempla faciunt: 8. electos in præsentī à Deo glorificari curant. Tertio. Remedia contra tentationes sunt. 1. de propriis viribus nulla præsumptio: 2. Dei cum omni fiducia incessabilis inuocatio: 3. cordialis & frequens dominicæ passionis consideratio: 4. patientia: 5. virginis, proprii Angeli & Sanctorum magis dilectorum in adiutorium inuocatio: 6. consideratio quis tentator, quid prætendat, quid quærat. *Ex sermonib. de temp. à fol. 115. pag. 2. ad fol. 116. pag. 2.*

Eiusdem sermo tertius docet Christianos tempus Quadragesimæ tempus esse conflictus virtutum & vitiorum, ieiunium laudibus extollit, dæmonisque astutias & tentationes contemnit. *Serm. 13. col. 32. & sequentibus.*

**S. I. CHRYSOSTOMI** homilia de diabolo tentatore. In qua rationem reddit cur de dæmone sermonem habeat, quare diabolus è medio non sit sublatuS, quod eius malitia nihil nos possit lædere, si velimus, & quod semper non sit causa mali, imò magnam nobis utilitatem affert, si eo, vt oportet vtamur; denique quinque vias pœnitentiæ indicat, quæ sunt peccatorum damnatio, iniuriarum remissio, oratio, elemosyna, & humilitas, ad quas populum hortatur. *Homil. 25, ad popul. Ant. à col. 318. ad col. 327.*

**\* DIONYSII CARTHUSIANI** de Epist. sermo in illud: *Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis.* 2. Cor. 6. Tempus euangelicæ legis acceptabile appellatur. Quia I. In eo misericordia Dei hominibus copiosissimè est impensa & semper impendi parata. II. Christus pro nobis incarnatus & mortuus est. III. innumerabiles in hoc fuerunt hominès virtuosī ac sancti. IV. In eo gratiosissimè subuenit Deus vni per alium. V. In ipso omni horâ multum proficere & promereri & spiritaliter crescere valemus. VI. Illud sancta instituit Ecclesia, & pœnitentiæ deputauit. *In serm. de temp. fol. 112. a pag. 1. ad 2.*

Eiusdem in Euang. hodiernum sermo primus de tentationum causis, vilitatibus, & remediis. Primo. Tentamur 1. à propriâ carne & naturali inclinatione & pronitate ad malum quæ ab originali peccato exorta est: 2. à mundo, siue nobis exteriora bona proponat vt affectum nostrum alliciat, siue per aduersa nos à Deo & operibus virtuosīs auertere nitatur: 3. à dæmonibus, qui ad omnia mala nos conantur inducere: 4. à Deo, dum & per aduersa & aspera nos flagellat & purgat, & per aliqua ardua virtutum exercitiā probat.

Item, eiusdem secundus sermo. Ieiunium vile 1. ad satisfaciendum pro peccatis præteritis & veniam impetrare; 2. ad carnalium desideriorum refrænationem; 3. ad cauendum peccata futura & multa opera vitiosa; 4. ad impetrandum gratiam, virtutem & profectum magnum; 5. ad illuminationem obtinendam & instructionem à Spiritu sancto; 6. ad omnium virtutum expeditiorem executionem; 7. ad corporis sanitatem diuturniorem. Ad abstinentem autem pertinet; statutum comedendi tempus non præuenire; cibaria & pocula lauta non quarere; studiositatem præparandi cibos cauere; immoderatum cibi & potus desiderium reprimere, non nimis diu in mensa sedere, ante refectionem alimenta benedicere & postea gratias agere, non excedere aut desicere in cibi ac potus quantitate. *Ex serm. de temp. à fol. 116. pag. 1. ad fol. 117. pag. 2.*

Eiusdem sermo tertius. I. De peccatis summè dolendum quia 1. Deus ineffabiliter peccata detestatur; 2. multipliciter nobis nocent in præsentī, 3. in futuro non solum æternâ priuabunt beatitudine sed æternis deputabunt supplicijs: 4. turpissima in seipsis sunt; & multiplex est penitentia fructus. II. Satisfactio quæ fit in mortali peccato non valet. III. Principales pœnitenti-